

Bibliothèque numérique

medic@

**Henaut, Nicolas - candidat / Bazin,
Claude - président. - An à sola copia
humoris Epilepsia ?**

1610.

[Paris]

Cote : ms 74 n°418

418

AD CARDINALITIAM

QVAESTIO MEDICA MATVTINIS AGITANDA DISPVATIONIBVS
IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XVIII. MARTII, M. CLAVDIO BAZIN
DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An à sola copia humoris Epilepsia?

CEREBRVM partium corporis principum prima, iugis sensuum ac motionum scaturigo, immutabilis facultatum principum sedes, vt præstantissimis pollet virtutibus, sic affectibus summopere miserandis, iisque quamplurimis, obiectum conspicitur. Nullum siquidem morbi genus caeco apertove marte ipsum non exercet. Intemperies omnis, organi immoderatio, ac vnitatis dissolutio ipsius perpetuò minitantur, functiones vt obturbent, demoliantur, interceptant: nullis denique non percontatur symptomatis: inter quæ varium & portentosum genus est Epilepsia, terribilis vtique, accessionibus peracuta, vna quandoquidè hominem rapit, cuius triste spectaculum, turpis & exitus. Hæc licet acutissimorum more perbreues habeat paroxysmos, diuturnorum tamen ideam fortitur & naturam.

HOC portentosum symptoma, cuius æmula sternutatio, in numerum deprauatarum cerebri, noxium excutientis, expultricum functionum percensendum est, quæ vt à causis excedentibus grauius lacessita parte immoderatus proritantur, sic cunctas etiam quibuscum ipsi inest familiaritatis consensus, confortij lege in perturbationem abripiunt. Hinc inordinatus non modo cerebri, verum etiam totius corporis deprauatus motus; hinc sensuum omnium, atque adeo mentis ipsius oblatio. Cuius quidem affectionis non modo à conuulsio motu, verum etiam à conuulsione prorsus distincta ratio. Cum vero pars quæque nostri & intestino turgat dissidio, & externis fusc pateat iniuriis, quorum potens vtrumque moliri exitium, quid dubium est hinc & inde cerebro perniciem imminere: posseque ipsius proritari facultates Epilepsiamque cieri: eandemque hinc & inde scetere geminam?

AM IMMANIS affectus, inter carum apoplexiamque constituti, causa quælibet materia (non nuda qualitas) quæ siue obscuris, vt venenatis, siue manifestis, vt copia distendente, grauante, acrimonia & similibus, cerebri depellentem facultatem grauius lacessit ac proritat, quæ inibi collecta succreuit primariam Epilepsiam parit, melancholica quidem in melancholicum affectum facili ituram transitu, pituitosa vero pronò lapsu in apoplexiam paraplegiamve cessuraprout ipsa repleat labes. Si vero aliunde tenuior, nimirum vapor aut halitus, translata, vt ab assumpto, aut ab intus genito veneno, vel à quouis alio affectu parte ex aliqua in cerebrum conscenderit, alteram patit ex consensu Epilepsie speciem, haud vnquam consecutaria exceptam paralyfi.

EDEA calamitas hæc solo sœuit quocunque, ætati nulli non noxia, sexui infesta vtrique, multis animantibus grauis, homini tamen grauior, pueris frequentior, & viris, & regionibus calidis; frigidis vero contra & mulieribus senibusque rarior, periculosior tamen accidit. In ipsa quæ per consensum excitatur sensuum affollet oblatio leuior adesse, motus conuulsus vehementior, breuior tamen accessio tota, quæque raro, vel quamparcissima spumâ (cuius generatio ab ea quæ in resolutis & strangulatis exprimitur distincta) excretâ terminatur. In primaria contra, minor sit tardiorque motus, at sensuum oppressio maior. vberiorque ore spuma profunditur: at si parciore, aut si crebrius inuadant insultus longiusve protrahantur, periculum minantur grauius, suntque, ni mors ipsa properata præuertat, futuræ paralyfis apoplexiæve triste præludium.

IE VERO morbus, quem frustra vt sacrum seu diuinum plebecula perhorrescit: cum eisdem exoritur è causis à quibus & reliqui, curationis etiam iisdem è fontibus sunt indicationes depromendæ. Itaque vt à cerebro, robur instaurandum perpetuoque conseruandum indicatur, sic ab affectu, causa imprimis præparanda, atterenda, extirpanda; alterantibus, alexiterijs, vacuantibus, vniuersalibus, particularibus, Diætâ simili, temperata, contraria, Chirurgia, quæ ferrum, flammam, vincula adhibeat; Pharmacia omnigenum præsidiorum instructa suppellestile; ac nunc tantum ex ijs aliquibus; nunc vero pluribus; pro ratione affectus primigenij vel per consensum; ex labe generationis e principiis traducta, aut aliunde contracta; in lactantibus, ab lactatis, pueris, adolescentibus, iuuenibus, in quibus si anteceßæ ætatis, victus, & regionis auxilia irita præterierint. Therapeutices *materia* sedulo accersenda, maturoque promouenda consilio, qua tandem peruiacis morbi *quædam* edometur, ne cum ipsa postremum ætatis subsidium lues elluserit, eadem inclinantis naturæ viribus potentior & obfirmata vetustate, ægrum perpetuè præsidiorum custodiæ contorquendum obiciat, aut eundem ipsa diris cruciatibus immaniter exerceat per tempus vitæ reliquum.

Ergo non à sola copia humoris Epilepsia.

Asserebat NICOLAVS HENAVLT Cadufianus Lingonensis anno domini 1610.

